

bilæum, Leuit. 25. 40. Sic Ier. 25. 12. *Ponam terram Chasdim in solitudines sempiternas: &c.* vel morte hominis, vt quando tempus vniuersæ vitæ hominis significat Ps. 89. 1. *Misericordias Domini in seculum cantabo.* Ps. 119. 112. *Celebrabo nomen in seculum.* Ps. 114. *Sed nos qui viuimus benedicemus Domino ex hoc nunc & vsq; in seculū.* Quamquam etiam de æternitate possit accipi, licet non continuata. Vel deniq; aduētu Christi, quo omnes typi & promissiones veteres implendæ erant. Sic circumcisio dicitur fædus æternum: & Terræ possessio promittitur æterna, h. e. vsq; ad tempus Messia, quando tolletur populorum discrimen, & ecclesia spargetur per totū orbem. Est & alia *responsio*. Promissiones corporales sunt conditionales. Ita & hæc. Promittitur ergo perpetua possessio terræ posteris Abram, cum conditione, si voci Dei obtēperent, maneat in fide & obedientia. Secus Deus sibi puniendi & eiiciendi ius reservat. Hæc conditio exprimitur à Mose Deut. 4. 25. *Si corrueritis vos & feceritis vobis sculptile in terra ista: nō protrahetis dies in ea quia disperdendo disperdemini, &c.* Sic propter peccata excussi fuerunt à Babyloniis: & tandem propter Messiam trucidatum eliminati à Tito & Adriano, vt iam annis 1500. exulēt sine spe restitutionis. Quod argumento est, Iudæos non amplius esse semen Abrami, nec populum Dei.

QVÆSTIO QVARTA. Quomodo promittat multiplicationem seminis instar pulueris terræ: cum ne quidē omnes homines inde ab Adamo vsq; ad postremum hominem simul sumti, nedum posteritas Abrami numerum arenæ maris adæquare videatur? *Resp.* Augustinus respondet, esse locutionem hyperbolicam, qua plus dicatur, quam significetur. Sed malim ego nos scripturas interpretari sine hyperbolis, quæ quia veritatem excedunt, nescio an non habeant mendacii speciem. Alii interpretantur de semine Abrami non solum carnali,

*Aug. lib. 16.
de G. D.*

A sed etiam spirituali & de catholica Ecclesia. Sed ne hæc quidē simpliciter est innumerabilis: Imo est pusillus grex, & pauci electi respectu pereuntium. Potius ergo dicamus, esse comparisonem rerum diuersarum in aliqua re similitum non tamen æqualium. Vere autem & proprie licet comparare res diuersas in eo, in quo conueniunt seu sunt similes: licet non simpliciter sint æquales: Non ergo sentētia est, tam fore multos vel infinitos Abrami posteros, quā multi aut infiniti sunt puluisculi, aut stellæ cæli, aut arenæ maris: sed tam fore illos innumerabiles: quam isti sunt innumerabiles: quod est verissimum: nempe hominibus: licet Deo sint simpliciter innumerabiles & definiti: sicut Deus stellas dicitur numerare & nominatim vocare Psal. 147. 4.

17. SVRGE AMBVLA. Sequitur mandatum, seu exhortatio, vt terram sibi mancipio datam perlustret, ad cognoscendam eius amplitudinem, fertilitatem & amœnitatem: vt tanto magis ad fidem Deo habendam excitetur. Ita Deus multum indulget nostræ infirmitati, vt etiam sensuum testimonio in fide confirmemur. Similiter Christus indulget discipulis hæsitantibus de resurrectione: *Palpate, videte, &c.*

18. TETENDIT IGITVR TABERNACVLVM ABRAM. Obedientia Abrami: non dicitur quidem terram integram perlustrasse, quia fidem verbis Dei habuit: sed dubiū non est, quin **D** Deo obtemperauit maiorem terræ partem paulatim peragrando. Id inde colligitur, quod accepto oraculo non sedit quietus in Bethel, sed mutato hospitio concessit in Hebron, vt ibi habitaret, extra suburbia iuxta quercetum Mamre. *Mamre* autem Amorraeus fuit, domicilium habens in planicie seu querceto ante suburbia Hebronis, vt patet cap. 14. 13. Is Abramum aduenam benigne suscepit hospitio: **Æ D I F I -**

C A.